



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Antonii Sanderi Presbyteri, S. Th. Licentiati Hagiologivm  
Flandriae Sive De Sanctis eius Prouinciae Liber vnus**

**Sanderus, Antoine**

**Antverpiae, 1625**

Evncivus Episcopus Tornacensis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10172**

## E V N V C I V S

*Episcopus Tornacensis.*

10. Sept.

**A** Demochare Resseño & Chenutio adiungitur Guidoni xxvij. Episcopo Nouiomensi ac Tornacensi: vnde colligi videtur ipsum non nisi Coepiscopum fuisse. Caput eius Radulphus Nouiomensis Episcopus circa annum 962 transtulit ad Monasterium S. Lupi, quod nunc S. Eligij dicitur extra muros Nouiomenses ab eodem Eligio fundatum. Vide Ioannis Cognati historiam Tornacensem.

## E R E M B E R T V S

*In Blandinio iuxta Gandauum.*

**F** Vit Religiosus in Monasterio Fontanellensi sub Abbate S. Lamberto, qui Archiepiscopus Lugdunensis atque etiam Tholosanus fuit. Honoratur in Abbatia sancti Petri iuxta Gandauum, eò quòd illuc eius Reliquiæ cum aliis Sanctorum è Fontanella ob metum & persecutiones Normannicas olim fuerint delatæ. Ita Gazæus in *Historia Ecclesiastica Belgij.*

## E V B E R T V S E P I S C O P V S

*Insulensium in Flandria Patronus.*

11. Febr.

**C** Vm sanctis Piato & Chrysolio martyrium passus est Cimperante Diocletiano circa annum Domini 299. quiescit Insulis Flandrorum Emporio, in illustri Canonico-  
corum